







12





4051.

Q. D. B. V.

12 M. R.  
M

# JUS LINGUÆ,

In Academiâ Wittebergenſi,

1667  
11

PRÆSIDE

M. SAMUELE SCHELGUIGIO,

Gurano Sileſio,

*Collegii Philoſophici Adjuncto,*

Publicæ Eruditorum collationi  
expoſitum

4

â

RESPONDENTE

WOLFGANGO ABRAHAMO

von Gersdorf/

Eqvite Luſato,

In Auditorio Majori.

*Ad d. 23. Novembris M. DC. LXVII.*

WITTEBERGÆ,

In Officinâ Fincelianâ exſcribebat Michael Meyer.





Q. D. E. N.  
LES LITTE  
In Academia Vindoburgensi  
P. R. E. S. I. D. E.  
M. SAMUEL SOHLE ONIGIO  
Genuo Silesio  
C. M. P. S. I. S. T. A. T. I.  
Tabulae Mathematicae  
apud  
WOLFGANGO ABRAHAMO  
W. G. O. T. T.  
In  
M. S. S. I. S. T. A. T. I.  
M. S. S. I. S. T. A. T. I.







I. N. 7.

PRÆFATIO.

**A**ntum in Republicâ sermo usum  
habet, ut Oratorum Princeps  
Cicero rectissimè dixisse videatur;  
(a) Duo esse societatis humanæ vincula, RA-  
TIONEM & ORATIONEM. Tollas inter cives  
lingvæ commercium, quo pacto Imperans  
voluntatem exponet subditis; aut hi partes  
suas obediendo sustinebunt? In rude cor-  
ruent chaõs distincta officia mariti & mari-  
tæ, parentũ & liberorum, patrum familias &  
servorum. Non locus supererit pactis, aut  
contractibus, non amicitia, quæ præcipuum  
humani animi bonum reputatur. (b) Exula-  
bit religio, ubi nec docentes nec discentes  
suo munere, prout par est, defungi queunt.  
Ne igitur homo cum brutis faceret paria  
clementissimo Numinis indultu ei concede-  
batur, ut cogitata animi distinctius expri-  
mere posset; quod beneficium omne grati-  
tudinis

A 2

(a) *L. 1. offic.* (b) *Tac. Hist. L. 1. c. 15. n. 6.*



tudinis excedit fastigium. Non abutemur  
operâ, si divini amoris memoriam rime-  
mur & miremur atque in his pagellis, pro  
facultatum modulo, ostendamus, quousque  
se extendat potestas summi imperantis in  
subditi linguam. Tu autem, qui vocanti-  
bus adesse soles, adsis Ô JESU!

## INDEX THESIUM.

- I.  
*Differentia inter sermonem & linguam.*
- II.  
*Lingua se usq; ad scriptionem extendit.*
- III.  
*Linguae sunt variae,*
- IV.  
*An detur lingua naturalis?*
- V.  
*Non agitur de objecto sermonis, sed lingua.*
- VI.  
*Interest Reip. ut excolatur vernacula.*
- VII.  
*Illustratur exemplis Ebraeorum,*
- VIII.  
*Graecorum,*
- IX.  
*Romanorum,*
- X.  
*Pontificis Maximi,*
- XI. *Ger-*



	XI.
<i>Germanorum,</i>	
	XII.
<i>Gallorum.</i>	
	XIII.
<i>Hispanorum.</i>	
	XIV.
<i>Anglorum,</i>	
	XV.
<i>Barbarorum quorundam.</i>	
	XVI.
<i>Potestas circa linguam constituit ius Majestatis:</i>	
	XVII.
<i>Subiectum est summus Imperans.</i>	
	XVIII.
<i>Objectum est lingua subditorum.</i>	
	XIX.
<i>Formale consistit in mandato.</i>	

I.

**F**acultates animæ rationalis, ex Philosophorum placito, dispeſcuntur in primarias & secundarias. Illarum duæ sunt, intellectus & voluntas; harum totidem, risus & sermo. (γ) Cæteras alii exponant: nos ultimam sequenti descriptione prosequemur. Sermo est potentia rationalis animæ, ad res mente conceptas manifestatione enunciandas, ordinata. Lingvæ in definitione isthâc nulla sit mentio, quæ ad sermonem sese, ut actus ad potentiam habet. Omnibus hominibus sermo inest: non item lingua. Imo qui manifestant cogitata animi, non semper uno ore loquuntur. Eodem sermone gaudet

A 3

Arabs,

(γ) Sperling. Synops. L. 9. c. 29



Arabs, Græcus & Latinus alimenta postulans ; distincto  
lingvarum exercitio : Quoniam apud distitas nationes  
hæc potentia vario organorum flexu & diversâ percus-  
sione aëris se exerit.

H.

Neque tantum lingvæ discrepantiam innuit alia  
atque alia membri illius dispositio, quod lingvam appella-  
mus. Nam quandoq; vices lingvæ calamus & atramen-  
tum sustinent. Multæ equidem nationes aliquandiu, à le-  
gendi & scribendi notitiâ prorsus vixerunt alieni; in qua-  
rum numero majores nostri à Tacito ponuntur, quibus li-  
terarum secreta ignorantibus, (d) antiquum carmen u-  
num memoriæ & annalium genus erat. (e) Rudiores his &  
stupidiores Americani, cum viderent Hispanos literarum  
reciprocatione, de remotissimis rebus, foeliciter informa-  
ri, eò ridendæ credulitatis processerunt, ut admotis auri  
epistolis, quas loqui autumabant, mysterii stupendi dete-  
ctionem frustra expectarent. (f) Gentes aliæ cultiores  
lingvam amulari scribendo & vocum figuris chartam si-  
gnare didicerunt. Quinam vel vir vel populus utilissimi in-  
venti auctor celebretur, de eo inter scriptores non con-  
stat. Sunt qui cum Tacito colligant, Ægyptios primum  
per figuras animalium animi sensus effinxisse, & antiquis-  
sima monumenta memoriæ humanæ impressisse saxi :  
Inde Phœnices Græciæ literas intulisse, gloriamq; adeptos  
tanquam repererint, quæ acceperant. (g) In eadem opinio-  
ne subsistit Plato, (h) & Diodorus Siculus. Sunt qui Phæ-  
nicibus hanc gloriam largiuntur, ut Herodotus, (i) Cur-  
tius & Lucianus. Sunt qui recurrunt ad Chaldæos, cum  
Eustadio Anticheno. (k) Sunt qui ab Ebrais initium scri-  
ptionis

(d) Germ. c. 19. n. 1. (e) Id. Ibid. c. 2. n. 3. (f) Vide Itiner. Amer. (n) L.  
11. Annal. c. 14. n. 1. (g) in Timæo & Phædro. (i) L. 5. Hist. (k) quem  
habemus ex editione Latii.



ptionis petunt, quorum ob multitudinem numerus non  
facile initur. Allegasse sufficit ex recentioribus Carolum  
Sigonium. (λ) Guilelmum Postellum, (μ) Polydorum Vir-  
gilium (ν) & Bibliandrum. (ξ) Alii non contenti recensio-  
ne gentis, ad minutias, certamque inventoris personam  
descendunt. Notissimi sunt versiculi quos, a quonam haud  
constat, mutuatur Lilius Gyraldus, (ο)

Primitus Moses Ebraeos exaravit literas.

Mente Phoenices sagati condiderunt Atticas.

Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata,

Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas.

Guphila (*alias Gumphila*) exhibet Getarum,  
quas videmus, ultimas.

Cum verò potissimum de primis literarum inven-  
toribus quaeratur; non de propagatoribus, quales pro di-  
versitate gentium plurimi, sine difficultate, recenseri pos-  
sent altius origo repetenda est. Non placent, qui ad Es-  
dram confugiant, exemplo Cornelii Agrippae: (π) Nec  
Mosen laudantes, cum Clemente Romano & Eusebio,  
quorum argumenta Augustinus examinavit. (ρ) Philoni  
Judaeo Abrahamus arridet. Licentius erant, qui post Gre-  
gorium Tholosanum, (σ) ad Enochii scripta recurrunt.  
Augustino & Patribus nonnullis columnae Sethianae im-  
posuerunt, ut filio ferrent acceptum, quod à Patre Ada-  
mo, cum Suidâ, (τ) deducere debuissent. Non equidem  
figuras literarum ab Adamo usitatarum promittere au-  
demus, quas nimium literaliter alii ex bibliothecâ Vati-  
canâ pollicentur. (υ) Absit ut pro veritate nugas, pro cer-  
titudine

(λ) *de Rep. Ebraeorum.* (μ) *descript. Syria* (ν) *L. 1. de Invent. rerum.*

(ξ) *de ratione lingvarum* (ο) *Tom. 2. Operum Dlal. 1. de Poët. Hist.*

(π) *de Occult. Philos.* (ρ) *L. 18. de C. D. c. 38 seqq.* (σ) *L. 15. de Rep. c.*

1. (τ) *in voce Adam.* (υ) *Conf. Angelus Rocha à Camarino. Com-  
ment. in Biblioth. Vaticanam. Schrader, in monument. Ital. p. 197.*



etudine figmenta & supposititios ingenii foetus exhibeamus. Descriptionis initia referimus ad Adamum, licet de modo non constet. Persuadent nos rudera congenitæ sapientiæ, in Adamo post lapsum adhuc reliqua, ut credibile videatur, eundem sollicitè cogitasse, quo pacto ad posteros transmitteret eruditionem. Accedit, quod Adamus diutissimè cum posteris Setho & Enocho, quibus literarum inventio attribuitur, vixerit. Annon igitur conijcere licet, Patrè scripsisse, cujus filii scribebant. Si autem scripsit Adamus fidei magis consentaneum est liberos à Patre, quam Patrem à liberis nunquam satis laudandam notitiam imbibisse.

### III.

Operæ pretium judicamus quædam de numero linguarum commentari: non tam, ut indubii quid erudito orbi obtrudamus, in re meris conjecturis innitenti, quam ut securæ aliorum opiniones Philosophicâ limâ poliantur. Linguarum discrepantias à confusione Babylonicâ deducendas esse nemo ignorare potest, nisi qui extra Ecclesiam DEum & DEI verbum ignorat. Quo autem modo & ordine DEusturbaverit communem omnibus linguam, quàm Ebræam statuimus, quicquid pro Syriacâ nugetur Theodoretus, (ϕ) pro Chaldaicâ Myricæus, (χ) aut pro Belgicâ Goropius Becanus, (ψ) de eo Auctores non conveniunt. Bibliander Ebræam linguam ait in plures dialectos abivisse. (ω) Rabbini quidam pro immutatione vocalium punctorum & literarum radicalium transpositione atque innovatione pugnant. Primum asserere erroneum est; posterius absolum. Qui in fundamento loquendi nō conveniunt aliis lingvis, non tantum dialectis

(ϕ) *quæst. 12. in Genes.* (χ) *Præfat. in Grammat. Chald.* (ψ) *Conf. Indoscythica, Hispanica, Hieroglyphica, Verumnus &c.* (ω) *de optimo genere explicandi ebraica.*



Etis utuntur. At quis non | diversitatem vocabulorum in  
 lingvis Germanicâ, Latinâ, Græcâ, Ebraâ &c. deprehen-  
 dit, quarum incunabula nequeunt aliunde, quam à super-  
 biâ Babylonicâ, deduci. Rabbini faciunt intelligendo ut  
 nihil intelligant. Si permutantur literæ vocum, aut novæ  
 substituuntur, næ lingvam prorsus novam oriri animad-  
 vertunt saniores. Ergò verpi deridendos se propinant,  
 dum exposituri, quâ ratione lingvarum confusio accide-  
 rit, asserunt; DEI jussu novâ lingvâ usos esse, qui novâ lin-  
 gvâ utebantur. Imò laterē lavabunt, qui ad Ebraicâ initia  
 omnes reliqvarum lingvarum voces reducere conabun-  
 tur, à quibus in tantum recesserunt plurimæ, ut ne qui-  
 dem apicis convenientis vestigium super sit. Invenire li-  
 cet, quos nimia curiositas transvorsum agit, ut definire  
 audeant, quænam & quot lingvæ reliqvarum omnium  
 matres habeantur. (a) Horum quæstiones eodem loco ha-  
 bendæ sunt, quo illæ Tiberii Grammaticos experientis:  
 quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines  
 fuisset? quid Syrenes cantare solitæ? (β) Interim in sum-  
 mâ incertitudine certissimum judicamus, hodiè longius  
 quàm olim extendi lingvarum catalogos: postquam tem-  
 pus ipsum, coloniarum deductio & commixtio populo-  
 rum novas subinde dialectos peperit; mox lingvas, Ex E-  
 braâ resultant Arabica, Chaldaica, Syriaca, Æthiopica,  
 Punica, Samaritana. Ex Græcâ Coptica. Ex Latinâ puriori  
 Italica, Hispanica, Gallica. Ex Sclavonicâ Polonica, Bo-  
 hemica, Russica, Vandaica, Bulgarica. Ex Germanicâ  
 Belgica, Svecica, Danica & si insistendum Busbeqvii ex-  
 perimentis, (γ) Tartarorum in Tauricâ Chersoneto. Ad  
 nullas harum commodè referuntur Turcica, Sinensis,  
 B Persica

(a) de quibus vid. Buxtorf. Filius Dissert. Philol. 2. membre 2 n. 40.  
 p. 77. (β) Sveton. in Tiber. c. 70. (γ) Conf. Epist. 4. ex versione  
 German. p. 561. seqq.



Perſica, Armenica, tot Barbarorum in Africâ & Americæ  
omnes. Qui de lingvarum plurium uſu, naturâ & propa-  
gatione plenius informari cupit, adeat Poſtellum, Bibli-  
andrum, Geſnerum, Waſerum, Walthonum, (d) Beſol-  
dam (e) &c.

IV.

Hic ſeſe quaſtio offert, an quædam lingua homini  
naturalis fit, ut ſine prævio labore & exercitatione, in ejus  
cognitionem penetrare poſſit? Ita ſenſit Pſammetichus  
Ægypti Rex, qui exploraturus Phrygumne an Ægyptio-  
rum lingua antiquior eſſet, duos pueros, ex humi-  
li profapia recens natos, paſtori inter pecora educandos  
tradidit, hæc lege, ut nemo hominum coram eis ederet  
vocem. Quid fiet? Bimuli bec, becec. clamabant, quod  
Phrygibus panem notat. Unde Rex percontator Phryges  
Ægyptiis priores eſſe collegit. (z) O quam fallaci iudicio!  
Etenim, à capris lactati, quas, niſi nutricum, voces imita-  
rentur? Eadem opinione deceptus quidam Indiæ Rex, tri-  
ginta infantes, ab omni hominum conſortio removit,  
illius gentis religionem amplexurus, cujus linguam hi  
naturâ duce proferrent. Periculo factò, qui nullam lin-  
guam audiverant, nullam loquebantur. (n) Ut ut ergò na-  
turalis fit homini ſermo, is tamen ad hanc vel illam lin-  
guam indifferenter ſe habet. Quod ſi linguam aliquam  
natura docuiſſet, omnes ejuſdem gnari forent; aut ad e-  
am majori inclinatione, quam ad ullam aliam, propen-  
derent: quod ipſi reclamant experientia. Quin potius hæc  
ſuggerit nobis exempla ſurdorum, qui ſalvis loquendi

orga-

(d) Qui citantur à Cl. Pfeiffero Select. Quaest. Philol. Part. 1. Diſſ.  
Proem. poſter. in præfat. (e) In Diſcurſu ſingulari, de naturâ popu-  
lorum ac de lingvarum ritu & immutatione, qui Tubingæ proditit  
Anno 1622. (z) Herod. L. 2. Euterpe. ab init. (n) Beſoldus libro citato.



organis loqui nequeunt, cum non percipiant loquentium  
voces. Quapropter Anticyras destinamus Helmontio Ju-  
niori, qui nescio quo spiritu actus, nuper Alphabetum  
naturale Ebraeorum somniavit & publicæ exposuit luci. (θ)

V.

Cum animo sedeat exponere potestatem Im-  
perantis summi circa determinationem lingvæ, omnibus  
in propatulo erit, quod de objecto sermonis in suâ latitu-  
dine spectati nequaquam agamus. Alium locum sibi ven-  
dicat uberior tractatio quæstionis; an & quousque conve-  
niat Principi permittere subditis de se loquendi potesta-  
tem? Paucissima liceat, primis quod ajunt labris, delibare.  
Prudenter censet Cremutius Cordus apud Tacitum; quod  
spretæ dicteria exolecant; si irascere, agnita videantur.  
(ι) Idem monitum Henrico M. Gallix Regi, de auctori-  
bus quorundam scriptorum sumentis poenam, Villaregis  
Consiliarius inculcat; papyrum mollem esse & ferre om-  
nia, satyrasq; prohibitas tantò curiosius requiri. (κ) Verū  
enim verò, uti ferre licet leves injurias, quoties festivè ma-  
gis quam acerbè ingenium aulæ traducitur; ita contume-  
liæ in ipsam Rempubl. redundantes, quibus consilia & ar-  
cana status vulgo prostituuntur, omnibus modis punire  
interest; ne princeps vel in odium vel contemptum populi  
incurrat. Qui plura hâc de materiâ legere avet, ei satisfac-  
ient doctissimi fratres Scipio (λ) & Albericus (μ) Genti-  
les, quiq; omnia egregiè persequitur Forstnerus. (ν)

VI.

Nunc propius ad rem accedentes, extra aleam dubi-

B 2

tatio-

- (θ) Libri titulus est. *Alphabeti verè naturalis Hebraici brevissima  
delineatio à F. M. B. ab Helmont. Prodiit Sultzbachii Anno 1657.*  
(ι) *Ann. L. 4. c. 34. n. 9.* (κ) *P. Mathai in Minist. Status.* (λ) *in Dissp.  
ad tit. C. Si quis Imperatori maledixerit.* (μ) *L. 2. de Conjurat.*  
(ν) *Not. Pol. ad Tacit. part. 3. p. 85.*



tationis positum existimamus, plurimum facere tam ad utilitatem Reipubl. quam ad conciliandum splendorem, si vernacula lingua, pro virili, excolatur & propagetur. Non equidem studia linguarum exoticarum improbamus, quæ & ornant cultores suos & maximopere in omni eruditionis genere adjuvât; modò paterni sermonis cultura non omninò seponatur. Displicent aliena extollentes, suorum incuriosi, ipsoque Nerone peiores, cunctas sibi curas amore patriæ leviores, profitente. (ξ) Vernacula dictio longè lateq; diffusa patriam apud exteros venerandam reddit, qui tacito stupore eas suspicere videntur, quorum loqvendi genus suo ceu minus polito anteponunt. Quin & cives sub eodem imperio degentes arctiori concordia nexu cohærent, ubi eodem ore loqvuntur. E contrario parum aberat, quin Buda Ungariæ Metropolis, sub Rege Sigismundo, funditus periret, orto inter Germanos & Ungaros tumultu. (ο) Quid in re clarâ prolixiores sumus? Ipse DEus Babyloniorum linguas confudit, ut ex sermonis dissensu sequeretur dissensus animorum. (π)

## VII.

Hæ & aliæ rationes plerisque gentibus consuetudinem expresserunt, ut paternæ linguæ summo conatu operam darent, vel eam subjugatis populis, in servitutis signum, publico obtruderent mandato. Antiquissimi omnium Ebræi, quanto studio vernaculæ dictionis nitorem inter Ægyptios & Babylonios illibatum conservarunt? licet apud illos per quatuor secula; apud hos per septuaginta annos durissimâ servitute premerentur. Ex-  
tat

(ξ) Tac. *Annal.* L. 15. c. 36. n. 4. (ο) *Tholof.* L. 4. de rep. c. 4. (π)  
*Gen.* 11. v. 7. 8.



fat in Gemaricis placitis Judæorum lex, paulò ante Reipubl. ruinam vel lata primum, vel solenni ritu confirmata, quâ maledictioni exponitur, filium docens sapientiam Græcorum; (ρ) sub quâ alibi disertis verbis linguam Græcam Doctores Talmudici comprehendunt. (σ)

### IIX.

Quid de Græcorum tenacitate dicemus? qui, uti in cæteris patriarum consuetudinum servantissimi; (τ) ita procul dubio linguam cum imperio longè latèque prorogarunt. Non domi saltem,

———— Grajis dedit ore rotundo

Musa loqui. (υ)

Quin & in Gallico sermone rudera Græciæ superesse Hottomanus auctor est. (φ) Ægyptum paruisse victoribus Græcis, nemo hominum negare audebit, si Copticæ linguæ vocabula intueatur. (χ) Quid multis? antequam Latina lingua caput efferret, Græcè loquentem oriens & occidens intelligebat, Græciq; maximoperè sibi placebant, pro ingenii indole sua tantum mirantes. (ψ)

### IX.

Progredimur, ad Romanos, qui olim Græco sermone, etiam in publico, utebantur: quod probat exemplum Posthumii apud Tarentinos. (ω) Postea facti rerum domini, imperium affectabant in sermonem, ut Latinæ vocis honor per omnes gentes venerabilior diffunderetur. (α) Arminii Germani frater Flavius, quod Romanorum in castris ductor meruisset, ad jurgia cum fratre pro-

B 3

lapsus

(ρ) Ex Gemarâ citat. L' *Empereur in Bava Kama sive de Legg. Ebr. forensibus Cod. 1. c. 7. §. 7.* (σ) Vide Buxtorf. *Lexic. Talmud. columna. 1234.* (τ) Vide Curt. *L. 6. c. 6.* (υ) Horat. *de arte* (φ) in *Franco Galliâ* (χ) Kircher. *in Copt.* (ψ) Tac. *Ann. L. 2. c. 88. n. 5.* (ω) Dionis. *Halicarnas.* (α) Valer. *Max. L. 2. c. 2. exemplo Rom. 2.*



lapsus, pleraque Latino sermone interjaciebat. (β) Scilicet longa consuetudine assuetus peregrinae dictioni, memoriam vernaculae magis magisque exuebat. Nec mirum istud de unico homine, inter peregrinos diu versato; siquidem integrae nationes passae sunt, patriam linguam sibi oscitantibus eripi, inualecente externi sermonis contagio. Gallos & Francos in Gallia quaerimus; in Hispania Hispanos & Gothos. Hodierna dictio, quae nationes haerentur, sicut Latinae sermonis & rubigo trivialium barbarismorum audit. Plurima etiam vocabula praesertim forensia & militaria Latinae originis in Germania, Graecia Pannonia, & Asia remanserunt. Lingua autem Dacica, in parte regionis septentrionali, prorsus exspiravit, ex quo legio Romana illic sedem fixit & Valachica lingua ex Latinitate orta coepit esse in pretio. (γ) Hujus corruptio deterrima ansam praebuit sarcasmo, quem non nisi veniam praefati, in nullam gentis ignomiam & ex aliorum ore allegamus;

Roma cacaturiens quondam, medicamine sumto,  
Emisit stercus grande; Valachus erat.

Redeundem est ad genuinos Romanae puritatis conservatores, ex quibus Tiberium nominasse juvat, qui sermone Graeco promptus & facilis abstulit in senatu, adeo quidem, ut monopolium nominaturus, se excusarit, quod verbo peregrino utendum esset. Idem in decreto Patrum cum ἐμβλημα recitaretur, commutandam censuit vocem & pro peregrina Romanam requirendam, aut, si non reperiretur, vel pluribus, vel per ambitum verborum rem enunciandam. (δ) Simili studio profecutus est Romanam dictionem Claudius, cum splendidum virum Graecaeque

pro-  
(ε) Tac. Ann. L. 2. c. 10. (γ) Conf. Zeiler, Hungar. p. 25. (δ) Conf. Sueton. in Tiber. c. 7.



provincia Principem non modo judicum albo erasit; sed  
& in peregrinitatem redegit. (ε) Tam periculosum erat  
civem dici Romanum & verba civitatis non percipere.

X.

Romanos veteres imitatur, qui hodie Romam te-  
net Pontifex supremus; in id omnibus viribus enitens, ut  
Latinum sermonem invito obtrudat orbi. Cum, enim, a-  
pud antiquos Ecclesiae Patres jam obtinuerit distinctio in-  
ter Ecclesiam Graecam seu orientalem & Latinam seu oc-  
cidentalem, cujus gubernacula Romanus Episcopus par-  
tim vi, partim dolo & imposturis sibi vendicavit, ratio  
status exigere videtur, ut nihil non curae & sollicitudinis  
pro amplianda & propaganda Latinitate, impendat, quae  
& character imperii est & magnum habet momentum, ad  
continendos animos, in obsequio Idoli Romani. Mira-  
mur tantam orbis partem non sentire offucias. Quasi DE-  
us tantum Latine sciret, aut amore singulari hujus linguae,  
praeceteris, caperetur. Quasi sonum sine mente debla-  
terare juberet religio, quae votum potius, quam vocem  
exigit. Profecto multi ex Pontificiis coeca persuasione  
deliniti cum Psalmos non intellectos murmurant, idem  
agere censentur, quod alius quidam, orationis loco ali-  
quoties repetens Alphabeti literas; DEum intelligere ra-  
tus, quid vellet & literas debito modo dispositas, pro lu-  
bitu, in verba redacturum. (ζ) Interea pontifex sua aucto-  
ritate tutus legem sine ratione condit, jubens; ut res sa-  
erae & negotia aulae Pontificiae, etiam cum barbaris, semper  
in Latinam linguam peragantur (η) Parum esset, si in hoc ne-  
fandi subsisterent conatus; nisi & nomina viris foeminis-  
que

(ε) *Id. in Claudio c. 16.* (ζ) *Didac. Apolephtes in recreationibus Hi-*  
*stor.* (η) *Conf. Platina, p. 127.*



que imponenda, exterminatis quæ Germaniæ debent originem ceu Ethnicis & Barbaris, ex catalogo Sanctorum, quem Legenda vocant, peti juberentur. Gravissimè hanc jacturam & patriæ linguæ excidium deplorat Johannes Stumpfius, in historico opere, quod antiquâ veritate, sine amoris & odii studio, (θ) composuit, edente Rudolpho Strumphio Tiguri Anno M. D. XXXVI. (ι)

XI.

Ad Majores nostros recurrimus, homines Indigenas, minimèq; aliarū gentium adventibus & hospitibus mixtos, (κ) qui linguam vernaculam sollicitè inter se custodiverunt; quamvis in locis limitaneis, cum Rectoribus provinciarum & milite præsidario Latinè loquerentur. De amore eorum erga sermonem patrium testantur nomina Germanica olim liberis promiscuè & satis foeliciter imposita, quorum prolixum indicem vetustissimus codex in monasterio S. Galli repertus (λ) & Stumphius in commentario historico (μ) exhibent. Imo & hodiè, post reliquos Germanos, Transylvani, memores avitæ originis, Germanicam linguam colunt, cum Dialecto Coloniensi convenientem. (ν) Cæterum usus characterum in scriptione nostrâ non usque adeo antiquus est; ut potius eundem instituisse Carolus M. memoretur. Causæ forenses & privilegia Cæsarea demùm Anno M. CC, præprimis post Rudolphi I. ætatem, Germanicis literis vulgari cæperunt; cum antea Latino exararentur sermone. (ξ) Hoc tamen nec quicquam obstante, Fridericus I. tanti fecit linguam vernaculam, ut Alexandro III. Pontifici, etsi latinè doctus, non nisi Germanico idiomate Venetiis responsum daret

(θ) Tac. Hist. L. 1 c. 1 n. 5. (ι) Vide L. 4. de Helvetiâ c. 55. fol. 284. 285. (κ) Tac. Germ. c. 2. n. 1. (λ) Conf. Goldast. Alemann. Script. Tom. 2 p. 122. (μ) L. 3. c. 59. (ν) Zeiler. Hungar. p. 20. 21. (ξ) Vide Speidel. Notabil. Jurid. Hist. Pol. p. 857.



daret, ad conservandam Imperii auctoritatem. (o) Utinam verò Principes hodierni insisterent Majorum vestigiis & linguam verè heroicam heroico spiritu tuerentur.

#### XII.

Desabimur ad linguas spurias Gallorum, Hispanorum & Anglorum, quæ nihilominus tam mirificè sibi placent hæ nationes, ut ad earundem culturam viros eruditos prece & pretio invitent. A Ludovico XI. Gallia Rege Latina lingua purior in negotiis publicis, substitutâ impurâ, prohibebatur. (π) Idem sanxit Franciscus I. teste Gregorio Tholosano. (ρ) Quamverò hic sermo miserè coaluerit, ex reliquiis linguæ Græcæ, Latinae, Germanicæ & Gallicæ veteris, eruditè ostendit Hottomannus. (σ)

#### XIII.

Gallos excipiunt Hispani, quorum linguæ inseruerunt vocabula Germanica Gothi, Vandali & Alani; Græca Massilienses; Latina Romani; denique Mauri tot Arabica, ut Granatenses & Andalusiani ferè ex quartâ parte Arabicè loquantur; uti contra Castilianorum dialectus, inter Toletum & Valadoletum celeberrimas urbes, proximus ad Latinitatem accedit. (τ) Cæterum Hispani tanto amore chaos hoc verborum depereunt, ut nec mercatori liceat conficere tabulas acceptarum & expensarum, nec Mauro loqui cum Mauro aliâ quam communi linguâ. (υ) Primus omnium Rex Alphonfus in Castilianâ ditione publicis negotiis vernaculam destinavit, antiquato Latinae linguæ usu; (Φ) cui tamen adhuc aliquis in Arrogantiâ relinquitur locus.

#### XIV.

Ultimum inter gentes cultiores locum merentur

C

Angli

(o) *Lehman. Chron. Spirensis* L. 5. c. 56. (π) *Marselaër de Legato Diss.* 34. p. 423. (ρ) *L. 15. de Rep. c. 3.* (σ) *in Franco. Gall. Zeler. Hist. c. 1. p. 27.*  
(τ) *Id. c. 1. p. 66.* (Φ) *Mariana L. 13. c. 12. p. 563.*



Angli, quæ summam lingvæ impuritatem, quæ centonis instar alternatis vocabulis, ex lingvâ Latinâ, Germanicâ, Cambricâ &c. depromptis variegatur. Nihilominus defensorem nacta est Edvardum III. Regem, à quo exercitium corruptæ dictionis per totum regnum stabiliebatur. (x)

XV.

Addi potuissent nonnulla, de lege Bohemorum & Moravorum veteri, quæ à possessione prædiorum arcebantur lingvæ Slavonicæ ignari. Verùm enim verò cur occupamur in conquirendis exemplis Christianorum, cum Ulid Arabum Rex Barbarus prohibuerit librum aliis literis scribi, quàm Arabicis. (ψ) Quantam Turcæ rationem habeant patrii sermonis, exinde patescit; quod aliarum lingvarum periti nec audiant legatos, nec assentur peregrinâ. (ω) Id pensi habens Andreas Gritius Venetorum Orator noluit pacta cum Imperatore Turcarum subsignare, quod Latino Idiome scripta essent; quin potius Turcico concipi voluit, quia nullum foedus ab hac gente servatur nisi vernaculâ dictione expressum. (α)

XVI.

Explicato gentium consensu circa effatum, quod Lingvæ patriæ studium tum utilitati, tum dignitati Reip. inserviat; reliquum est ut dispiciamus, annon potestas in lingvam peculiare Majestatis Jus absolvat? Nos affirmativam defendere haud veremur: Quia potestas hæc est pars Majestatis eidem ex se & suâ naturâ conveniens, circa aliquid in Republ. rectè moderandum. Sic ex definitione eliciemus definitum. Accedit, quod Majestas in civitate omnia sub jugum obsequii cogere debeat, ne quidem

(x) Polydor. Virgil. L. 9. Hist. Angl. (ψ) Conf. Paul Diacon (ω) Marselaër de legat. Diss. 30. p. 137. (α) Id. Dissert. 27. p. 108.



dem lingvâ exceptâ. Ergo potestas in lingvam pro jure & parte Majestatis rectè habetur. Interim cave jus appelles primum: cum ad orta commodius referatur, quatenus ex jure legum resultat. XVII.

Pendet jus lingvæ à summo Imperante. Pars, enim, Majestatis est, adeoq; cum suo toto, ex varietate Reipubl. vel principis, vel optimatum, vel totius populi ossibus adhæret. Ubi observandum, quod dupliciter Majestas suo munere defungatur, sive præscribendo lingvam certam; sive permittendo receptam: uti jus legum tam exercet qui condit legem; quam qui ab alio conditam summâ auctoritate approbat. Exemplo sit Turcarum Imperator, qui subditis quibuslibet, pro nationum diversitate patrium idioma permittit, neque tamen desinit integram habere majestatem.

### XVIII.

Ex hætenus dictis & denominatione ipsâ facile patet, jus de quo agitur circa lingvam occupari. Neque tamen eò usq; se extendit, ut in Imperantis potestate sit omne sermonis exercitium de negare subditis. Rectè lingvam determinat; minus rectè omnem lingvam prohibet: ut helloboro indiguisse videatur Tyrannus apud Ælianum, metu conspirationis perpetuum & plusquam Pythagoricum silentium civibus injungens. (β) Absit hæc infamia. Poneret utilitati publicæ obicem, qui sermonem ex civitate eliminaret. Aliud præcipitur in Politicis: Ferendas esse leges de rebus externis & contingentibus; non de naturalibus & quæ internâ quâdam necessitate definiuntur. Ex homine brutum faceret, præcipiens; ne cogitata vel lingvâ, vel scripturâ, aut aliis signis vicariis manifestaret. Quòd verò lingvæ certâ determinationem

(C) de Var. Histor.



mem attinet, liberum Majestati relinquitur, sive in univ-  
so regno eandem linguam omnibus imperare, sive ad quæ-  
dam negotia, præsertim publica restringere mandatum.  
Namq; posterius aliquando in latè patenti imperio requi-  
ritur, quando nationum varietas alia conamina eludit.  
Sic Romani cavebant, ne in iudicio & tribunalibus aliã  
quam Latina lingua locum inveniret: Quin & Græcos  
lingvæ volubilitate excusã per interpretem loqui coge-  
bant, non tantum in urbe, sed etiam in Græciã & Asiã. (γ)  
Eãdem hodie lex in Imperio nostro obtinet: ubi tamen  
Latino idiomati Germanicum Germani Imperatores  
associarunt. (δ)

#### XIX.

Interna ratio hujus juris in indictione & mandato  
consistit, ut ab usu linguæ ad dominium non rectè conclu-  
datur: nisi imperans, cujus lingua in pretio est, eam man-  
dare possit. In aulã Turcicã Sclavonicum; in Persicã Tur-  
cicum; apud Indorum Regem Agræ Persicum Idioma in  
deliciis habetur. (ε) Neq; tamen aut Sclavi Turcis, aut  
Turcæ Persis, aut Persæ Indis quicquam imperant. Ubi er-  
go Imperium non est, ibi nec subditi inveniuntur.

Delineatum est Jus LINGVÆ rudi penicillo, quan-  
tum & tempus & ingenium permisit. Præstantiora ab aliis  
petantur, qui in hoc studiorum genere majorem ætatis  
partem consumserunt. Nos pro auxilio præstito decer-  
nimus

#### SOLI DEO GLORIAM.

(γ) *Valer. Max. L. 2. c. 2. exemplo Rom. 2.* (δ) *Vide Capitul. D.  
Leopoldi S. 43.* (ε) *Olear. Itir. L. 5. c. 24. p. 616.*





**T**hermodontiaco ceu stat Carbunculus auro,  
Ut formosa manus dio adamante micat.  
Non aliter fulget, qui natus origine clara,  
Et per virtutem fert super astra caput.  
Hæc nosti GERSDORF, hinc scandis laude cathedram,  
Nobile ut ingenium constet ubiq; Tuum.

*Ita Nobilissimo DNO. WOLFGANGO ABRAHAMO de GERSDORF, pro sua doctrina  
facit hoc exercitio discedendi academico testa-  
torem, ex animo salutatur*

Conradus Victor Schneider Doct.  
ach. Rector Acad. Witteb.

Ad

*Generosum, Nobilissimumq;*  
DN. WOLFGANGUM ABRAHAMUM  
à Gersdorff /

Equitem Lusatum,  
*Convictorem & Amicum meum Perdilectum*

*Cum*

*De*

JURE LINGUÆ,  
QVOD PRINCIPIS est,  
*publicè disputaret.*

**N**ec oribus centum, nec unà edisseres  
*Vel Cicero lingvis ritè JURA PRINCIPIS,*  
*Vis Cujus Imperi BONI tantum DEI,*  
*Donationis nescium nostre, est Opus.*  
*Vix claret Aulæ Sacrum tractantibus,*  
*Balbi hic sumus, qui discimus tantum scholæ.*

D

*Rerum*



Rerum Potitus jura judicat sua,  
Quem se minarem NUMEN astimat quidem,  
Sed civæ Majorem, DEUMq; prædicat.  
GERSDORFFE, cui Tit an dedit Cor Nobile,  
De JURE LINGVÆ, quo coruscant PRINCIPES,  
Fandi peritus dum benè loqueris, omne fers  
Punctum: haut inanis auguror Tibi & Tuis:  
Mercedis honor, erit AILLA PRINCIPIS TUI.

Joachimus Nerger / D. Prof.  
Pandect. Publ. Curizæ Elector. Scabinatus & Fa-  
cultatis Juridicæ, quæ hîc sunt, nec non ju-  
dicii Ducalis, quod est in Marchionatu  
Lusatizæ Inferioris, Assessor.

MENS generosa petit Virtutis nobile templum,  
Ac doctos inter prælia docta mover.  
Strenua sic sese ostendit GERSDORFIA Virtus;  
Applaudunt Musæ, & carmina prompta canunt.  
Hoc decus est ingens, doctis clarescere chartis.  
Sic generis splendor major in orbe viget.

Michael VValther P. P. & Fac.  
Phil. h. t. Decanus.

Quid sit Jus LINGVÆ, tua lingua diserta perorat,  
GERSDORFI; hinc LINGVÆ dedico vòta Tua.  
Te gratum faciat Jus & Tua gratia lingua  
Principibus, TIBI sic lingua parata mea est.  
Ita gratulatur Generoso Nobilissimoq; DN.  
Respondenti  
Ernestus VWilhelmus Vogelius J. U. L.

211



In den HochEdelgebohrnen  
Herrn Wolfgang Abraham von Gersdorff/  
Seinen hochgeehrten Herrn / liebwertheften  
Gönner und Freund.

Du ziehst der Ahnen Pracht; die Kunst kompt noch dazu:  
Dis heist des Adels Ruhm mit neuen Ruhme ziehen.  
Er lasse ferner nicht den Künsten faule Ruh/  
So wird der stete Fleiß Jhn an die Wolcken führen.

M. Samuel Schelwig / der Phi-  
losophischen Facultät Adjunctus.

*Generoso Nobilissimoq̃*  
*DOMINO*

WOLFGANGO ABRAHAMO A GERSDORFF  
Fautori exoptatissimo:

Sanguine Majorum Clarus consistere nescis;  
Indita vis animi culmen honoris amat.  
Sic juvat & Genere & Virtute extendere famam.  
Sic spes augendæ sollicitæ Patriæ.  
Gratamur meritò! Succrescat adorea perpes,  
Et Genus & Virtus Te super astra vehant.

\*\*\*  
S Du mußt man / Edler Herr / nach güldner Tugend ringen /  
Und sich durch ihre krafft hin zu den Sternen schwingen /  
So muß man schönes Lob erlangen / daß da mache  
Zu leben nach dem Tode / da alles sonst Veracht.  
Er fahre also fort der Tugend nachzustreben /  
Die wird Jhn kunst mit gunst / und was Er sonst wil / geben.  
Sein Nahme blühe fort / man müsse Jhn auch sehn  
Wo Titan sich benezt / und wo die Sterne gehn.

Aus obliegender schuldigkeit schrieb dieses / was es  
ist / mit fliegender feder Glückwünschend  
Johann Friederich Scharff.  
D z Sis



Sis, felix, vivasq; diu, Tua gloria caelo;  
Et Tuus aeterno tempore vivat honos.

*Paucula hac Generoso atq; Nobilissimo Domino  
Respondenti, Fautori, atq; amico suo sin-  
gulariter colendo adjicere voluit ac de-  
buit*

*Christianus Harttmannus Ledererus.*

In edler Geist wil immer Himmel an.  
Wer über dieses Rund mit Herligkeit regieret /  
Schaut wie er endlich werd ins Götter Chor geführet /  
Und achtet nichts den schönsten Erden-Plan.  
Wen das Glück was niedriger gesetzt /  
Sucht das beliebte Reich und frohne Zuempfangen:  
Ja jedes tapfres Herz trägt schmerzliches verlangen  
Nach dem was hoch und edel wird geschätzt.  
Und keines diß ist einigen versagt /  
Der nur die Tugend-Bahn und edle Künste liebet /  
Der sich nur der Gedult und Gottesfurcht ergiebet /  
Und nicht wie Icarus es unbesonnen wagt.  
Nun Edles Herz / du gehest auch bereit  
Den Edlen Tugend-Beg / und bist darauf beflissen  
Wie du magst Edle Künst / und gute Rechte wissen /  
Drum grünt dein Ruhm und Lob in Ewigkeit.

Also erwiese seine schuldige Pflicht gegen sei-  
nen hochschätzbaren Gönner und lieb-  
werthsten Freunde Mons. Serßdorffen

M. Melchior Güntherus,  
von Geyßenberg.

Gra.



*Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.*

**M**ir anderen wird hochgeachtet und gepriesen  
Dieselbe Tugend / so ihr edeles Gezele  
Und angenehmen Siz in einem Leibe stelt /  
An welchem die Natur ihr Meisterstück erwiesen.  
Nun weil auch die Natur an Ihm genung erwiesen  
Ihr Meisterstück / und auch in seinem Leibe stellt  
Die Tugend ihren Siz und edeles gezelt /  
Drum wird Er hochgeacht vor andern / und gepriesen.

Mit diesen wenigen beehrte seinen Herrn Stu-  
bengesellen und treuwertheften Freund

**Carl Augustus von Neischitz /**  
Eqves Misn.

---

**E**st aliquid, magnos Belli perferre labores,  
Quae ferri ad caelum mens generosa potest.  
Aet major laus est Musarum quaerere templa,  
Ac his se totum nocte dieque, dare:  
A quae rectus erit nobis ad sidera trames.  
Musa est quae superis associare potest.  
Sic o Chare Tuis, quae profers Publica verbis  
Monstras quid princeps Subditi in ora queat:  
Sic te Musa docet, Sic, Hanc si audiveris olim,  
Apprecor ex animo, Tu decus Orbis eris.

Hæcce Paucula, Generoso atque Nobilissimo Domi-  
no Respondenti Amico Dilectissimo, Commen-  
sali Suavisimo, gratulabundus adjecit.

**Maxemilianus à Mauschuviz,**  
Egv Siles.

Wek



**W**ir bey der alten welt nur hohe Tugend lebte /  
In dem was edle ziert sich unerandert übet;  
Dem ward vor seine Cron / durch Keiferliche handt  
Ein wapen überreicht / durch dis der Adelstand.  
Wir aber / die wir ist in ihrer nachwelt leben /  
Vermeinen das durch sie der Adel unsgegeben /  
Und führen eineren der alten Thaten an /  
Ob wir schon selbst nie was rühmliches gethan  
Ach mein / das ist gefehl / der Helm / der dehm gegeben  
Der ihn verdienet hat / wird durch ein löblich leben  
Erst auf den Sohn gebracht; der pranget nicht mit recht /  
Der / wie der Vater thät / nicht zieret sein Geschlecht.  
Du werher / hast gar wohl das alles wahrgenommen:  
Du suchst durch deinen Schweiß und arbeit hinzukommen  
Wo vor dein Vater wahr. bleib wie du vorgeseht /  
So wird dein Adel dir durch laster nicht verlest.

Carl. Sigmund von Mausewitz /  
aus Schlesien.

**D**u wilst / Geehrter Freund / durch fluge reden weisen /  
Wie das ein Fürst / der Cron und Scepter führt  
Auch Zung und Mund des Unterthans regiert /  
Und machst dardurch / das dich die ganze Welt wird preisen.  
Der Fama Mund muß selbst dein Lob erhöhn  
Und läst dich nicht mehr auff der Erden stehn /  
Denn deine Zung und schrift macht das man von dir saget /  
Du habest diß gethan / was keiner noch gewaget.

Durch diese wenige zeilen hat gegen seinem Bil-  
geehrten und höchstschätzbahren Freunde / sei-  
ne dienst verpflichteste Schuldigkeit eifere-  
tigst ablegen wollen.

Usmann Friederich von Hock.

So



So lang' ein Sternlein wird am hohen Himmel  
schweben/  
Ja bis daß grosse Kund wird werden ganz  
verstört.  
So lange Zeit wird hier sein Nahme sein gehört/  
Denn wer was tüchtig stift / der lebt auch ohne Le-  
ben.

Also ermunterte seinen wehrtesten Brüdern  
lichen Freund / diesen rühmlichen  
Fleiß nachzusehen / in Wittenberg

David Gottlob von Gersdorff/  
Eq. Lus.










Wittenberg, Diss., 1667

ULB Halle  
004 716 299

3




7


WMA











B.I.G.

Farbkarte #13

B. V. 12 M. O. M.

NGUÆ,

ittebergenfi,

DE  
CHELGUIGIO,

esio,  
ci Adjuncto,

collationi

ENTE  
ABRAHAMO

dorf/

to,

Majori.

. DC. LXVII.

RGÆ,

ebat Michael Meyer.

1667

11

4

